

V c
2290



Bl. 22



I. N. F. A.
EX
HISTORIA CIVILI,
DE
HENRICO PIO,
Saxoniae Duce ac Misniae
Marchione,

IN CELEBERRIMA LEUCOREA
publicè disputabunt
PRÆSES

M. Gottlieb Bernsdorff /

Schönvv. Saxo,

&

Responsurus Autor

SAMUEL Müller / Freib. Misn.

Calend. Decembr. M. DC. XCIV.

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ,
PRÆLO CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

I 521

HISTORIA CIVILIS
DE
HENRICO PIO
Saxonie Duce ac Milite
Marchione
IN CELERRIMA LINGUA
publice dispensata
PRAGAE

M. Gottlieb Schönbach



SAMUEL
Culmb. Decem. 17. DC. XCIV.

H. 1795



S ulla unquam prosapia quam plurimos eosque optimos Principes orbi terrarum dedit, certè ea fuit Saxonica, ex qua tot Duces, Reges, Imperatores prodierunt, ut nullam ferè sit tam illustris Europæ familia, quæ non huic vel originem debeat, vel cognatione saltem & affinitate innoxia sit. Quos quidem omnes recensere in præsentis non vacat, solos Misniæ ac Thuringiæ Marchiones exempli loco adduxisse contentis. Ex his per tot secula florere Dieterici, Friderici, Alberti, Mauriti, Augusti, Christiani, & nuper admodum deplorando Reipublicæ fato extincti Johannes Georgii, Principes laude nostrâ majores, & ad omnem posteritatis memoriam celebrandi. De Henricis verò quid dicam, cujus quidem nominis quatuor imprimis celebres Scriptoribus memorantur, quorum duo Conradi M. ætatem præcesserunt, duo eandem secuti sunt. Primus ab Henrico IV. Imp. ob navatam Saxonibus libertatem propugnantibus operam ditionibus ejectus morte obiit repentinâ. Alter idemque filius sine liberis decedens, Conrado, cui postea Magni cognomen est inditum, hætenus carceri ferreo Kirchbergæ incluso, amplissimam Misniæ hæreditatem reliquit. *Vid. Albinus Comment. Misn. Laur. Faustus in Stemm. Sax. Expl. p. 103. Fabr. Annal. urbis Misn. ad annum 1126.* Ab hoc duos Henricos numeramus, quorum alter ILLUSTRIS, alter PII cognomen à virtutibus, queis eminebat quisque accepit. Namque ille superior, cum ex metallis Freibergensibus ingentem pecuniam fecisset, Nordhusii equestres ludos magnificentissimè habuit: Bella cum Borussia ethnica superstitione infectis, cum Henrico Brabantino ab excessu Henrici Rasponis Thuringiæ Landgrafi, illas sibi Provincias asserente, felicissimè gessit. Ab Austriæ quoque Ducatu acquirendo parùm abfuit, nisi imprudentiâ Legatorum, & astu Bohemiæ Regis Wenceslai amplissimæ accessionis spes intercepta fuisset. *Vid. Comment. Albini de Misn. Tit. XV. p. 385. usq. 394. & p. 456. Cranzius in Sax. Lib. VIII. Cap. 27. Moll. A. Fr. ad An. C. 1237. & 1242. Deniq. Chytraeus, Fabricius, aliq.* Verum huic immorari diutius nostri non est instituti; quin ad Henricum Pium, ejus, quæ nunc feliciter rerum in Saxoniâ potitur prosapiæ conditorem progredimur, deque hujus vitæ, rebusque gestis, quantum paginarum angustia capiet, exponemus.

§. II. Natus ille anno recuperatæ Salutis 1473. d. 16. Martii, hora quasi duodecima, Dresdæ ex antiquissima Thuringiorū & Misnensium familia, (*Bobemus* 72um numerat, sed falsò) Bucholtz. Ind. Chronol. ad A. 1473. Patrem habuit Albertū cognomine Animosum, incomparabilē heroem, amicis salutarem hostibus, quos & fama ejus & vultus terrebat timendum simul & exteris etiam Regibus cultū ac magni æstimatum. Sic enim laudat *Pbil. Melancht. in Orat. de Orig. Misn.* Namq; Matthiam Hunniadē Hungariæ Regem, ne in ipsa Germaniæ viscera suis penetraret armis vel ipso fatente, prohibuit. Caroli Gibbosi Galliæ Regis & Caroli Audacis Burgundiorum Ducis audaciam repressit. Maximilianum Austriæ Archi-Ducem, post Imperatorem à Brugensibus captum in libertatem asseruit. Bohemiæ quoque ac Poloniae Reges Germaniam turbaturos auctoritate sua cohibuit. Quibus ille rebus effecit, ut à Pontifice Rom. Innocentio VIII. aureā rosā donatus per epistolas Dextera Manus Imperii, à Belgico milite Rolandus, ab alijs Hector alter & Carolus M. salutareretur. *Vid. Chytr. Sax. Lib. I. p. 47. Fabr. Rer. mem. Univ. Sax. p. 303. Faustus l. c. & Ant. Weckius in Descr. Dresd. p. 125.* Virtutem quoque ejus bellicam *Conr. Wimpina Prof. Lips. togatam, Herm. Buschius in Carminibus perpulchrè descripserunt.* Ipse Albertus Cranzius in Duces superioris Saxoniae iniquus aliàs, (ut *Albinus in Orat. de Orig. Sax. & Celeb. Schurzfl. in Dissert. de Friderico III. observant,*) eum hunc in modum laudat: *In Castris moriens defecit Princeps animo & rebus gestis egregius, qui canos suos multis bellis pro imperio fatigavit. In Sax. Lib. 13. C. 27. p. 349.* Gubernator imp. in Belgio, transmittenda ad posteros dignitate à Maximiliano I. Imperatore, ipsiusque adeò Frisiæ hæreditariā possessione auctus est. *Vid. Pontus Heuterus Rer. Belg. Lib. V. ad annum 1498.* plura qui scire desiderat, adeat *Mich. Bobemum in vita ejus eum notis Celeb. Polyhistoris nostri.* Mater Henrico nostro fuit Sidonia vel Zedena Podiebracii Bohemiæ Regis Toparchæ in Kunstad, Comitiss de Bernec & Nidda, filia, formā non minus quam virtute omnibus commendanda. *Moll. A. F. p. 103.* Quæ cum Albertum quinqve marium, & trium foemellaram patrem fecisset, anno 1510. in arce Tarantina, eodem illò annò, sub cuius finem Fridericus filius, Teutonici primò ordinis in Borussia Magister, post Magdeburgensis Episcopatus Coadjutor, ex aqua inter cate Rochlicii extinctus fuit, decessit. *Chytr. Sax. p. 48. Fabr. A. urbis Misn. A. 1510. Lib. III. p. 79. & Rer. Mem. Univ. Sax. p. 311.*

§. III.

§. III. Quid mirum igitur ex optimis fontibus hisce optimum quoque defluxisse rivulum. Neque enim Pater fortis probaque mater timidum ac vecordem procreare filium potuerunt. Henricus itaque noster præclara & excellenti præditus indole à primis ungviculis educationem liberalem admittens, brevi dignum se tantis Parentibus filium ostendit, & conservandæ propagandæque Albertini Stemmatibus gloriam non contemnenda præ se tulit indicia. Juvenis admodum à Patre Martio quidem heroë, sed tamen Musis etiam amico in Academiam Lipsiensem cum fratribus missus est, ut omnibus, quæ Principem ornant artibus imbueretur. Quem illa subinde felix ingeniorum obstetrix accepit, formavit, atque & sago & togæ convenientia infudit, quæ post usus magister solertissimus adeò perfecit, ut cives in eo Patrem redditum & affirmarent certatim, & sibi gratularentur maximè. *Vid. Betulius in G. H. G.*

§. IV. Moribus fuit commodis & ad priscam fidem modestiamque exactis. Placidam æque ac rigidam fortis faciem eodem ferebat animo, & quod corrigi non poterat, fortiter sustinebat, necessitati que parens, quemvis fortunæ ictum constanter iâ eludebat. Animus in eo erat erectus ac integer, & singulari clementiâ temperata severitas. Magna in Deum pietas, incredibilis in suos cives amor, Indoles sago æque ac togæ apta, certè utriusque artibus instructissima. Laboris patientis & in agendo impiger, nec voluptates inanes captans, denique ad paternæ virtutis exemplum facta. *Vid. Seckendorf, Comment. Hist. & Apol. de Lutheranismò L. I. P. 2. p. 198.*

§. V. Quæ quidem tum primum est cognita, quando decem & octo annos natus à Patre Alberto in Frisiam est abductus, campusque adeò, in quo generosa mens decurreret, apertus est. Id enim impræmis cupiebat Pater ut sibi quam simillimum filium decedens relinqueret. Et fausta omninò erant illius expeditionis auspicia. Recuperabatur Werda, fortissimè licet defendentibus Montfortiis, horumque ipsorum Castrum, à quibus appellationem ducebant, simul recipiebatur. Harlemenses insolentius se gerentes, & pro aquilis panes, pro leonibus caseos signis suis inferentes, coëciti, Gandavensiumque agris longè latèque vastatis tumultuante plèbe senatus ad petendam Alberti gratiam est compulsus. Majori pertinacia Sluyfa Flandriæ utebatur, quam Philippus Ravensteinius valio cum præsidio è Gallis, Germanis, Danis-

152
Danisq; collecto, tenebat. Sed cū foris arctissimā obsidione, domi dissidiis & pestilentia vexaretur, victorū sese arbitrio permisit, *de quib; omnib; vid. Bobemus l. c.* Flandriā domitā rebellis restabat Frisia, in ordinē redigenda. Immittebat Albertus pedestrem exercitum regioni, quippe quæ crebris paludibus & æstuariis incisa, equestrem ferre non poterat. Locis plerisq; ac oppidis receptis, Anno 1499. Harlingam cum Patre Henricus appulit, ad actisq; in fidem suam civibus de obsidendā Grōninga cogitabat. Sed re apud Dammum à Fuchsis minus ex Alberti sententia gestā annitente Friderico Badensi eodemq; Episcopo Tractectino VI. mensium, inducias cum Grōningensibus pactus est. *Cbytr. Sax. Lib. III. p. 100. & Bobemus in vit. Alb.* Quibus omnibus cum non interfuerit Henricus solum, sed suā etiam virtute ac vigilantia momentum addiderit, sublestæ utique fidei & alicujus adversus optimum Principem invidiæ arguendus *Albertus Cranzius* est, qui *Lib. III. cap. 23. non totis precordiis Henricum arma inesse, ac in medio preliorum estu pugnancibus aliis suis indulgisse amoribus,* affirmat. Quid? quòd Albertus ad Comitiam, quæ domi Lipsiæ indixerat abiturus, hunc ipsum Henricum sibi per absentiam in Frisia legavit, populoq; acri, vario, mobili ac subinde novas res molienti, Magistratum constituit, non obscuro indicio, quantum in hujus filii virtute repositum haberet fiduciæ. Addidit tamen ex amicis quosdam, qui eundem juvenem ad huc, nec imperio satis asvetum, consiliis juvarent. *Vid. Cbytr. l. c. & Ant. Weckius in Descript. Dr. pag. 126.* Sed res longè aliter ac sperabatur evenit. Alberti canos cum prudentia recedantur Frisi ut *Cranzius* ait *Lib. XIII. Cap. 25.* Henrici à contrario juventutem contemptui habebant. Præterea omnium avertentur animi, cum Patris sui jussu Harlingæ arcem exstructurus, loci angustiā tantæ molis magnitudinem non capiente vicinas nobilium ædes ad spacium amplificandum dirueret, populumq; exactionibus fatigaret. *Vid. Cbytr. Lib. III. p. 100.* Ira igitur in furorem versa, non solum quo pacto Saxonum jugum excuterent, sed ipsum etiam Henricum de medio tollerent, sententias conferebant, Præsertim cum alioqui indignè ferrent exterum Principem Frisiis impetare velle qui libertatis suæ literas à Carolo M. se accepisse, falso licet, gloriabantur, ut *Cranzius* memora *Lib. XI. c. 6.* Contractis igitur cupidum est, obsident, indignè omnino, si vivum capere potuissent, eundem

dem tractaturi. Nimirum id catena ferrea docet, quam hoc fine, ad-
jectoque in Rom. Imp. contumeliam geminae aquilæ vexillo, cudi cu-
raverant, quam etiamnum Dresdæ asservari *Weck.l.c.p.60.* commemorat.
Tot nempe periculis eorum exposita vita est, quorum subditi, metu
potius, quam amore in officio continentur. Henricus noster in acie
futior fuerat, quam in castro. Hostium manus sæpe effugerat, civi-
um evitare vix poterat. Nec ullum nisi in fortitudine Patris confi-
lium restabat. Hic, quantis in angustiis filii res versarentur, cum
cognovisset, festinatis itineribus è Saxonia per Geldriam in Frisiam
contendit, rebelliumque ac perfidorum ad Bomsterzylum quingentos
cædit. Ex quo tanta formido Frisiorum animos incessit, ut cauti ex teme-
rariis facti soluta Franeckeræ obsidione dilaberentur omnes, & ferarum
instar audito belli strepitu latebras quærerent & speluncas. Vid. *Bohemus*
& Chytr. ll. cc. & Cranz. in Sax. L. XIII. c. 27. Erepto tantis discriminibus Hen-
rico, Albertus Gröningam toties rebellem subicere sibi cupiens, dum de
conditionibus tradendæ urbis agitur, in castris morbo corripitur Prin-
ceps, & Embdam delatus, non ita multo post excedit vivis. Quo
morbi genere interierit, non usque adeo scriptores consentiunt, Bohe-
mus, cui multum tribuimus, febre ex continuis militiæ fatigationibus
contracta, alii ex veneno mortuum esse dicunt. Vid. *Camenerii car-*
men de hoc argumento confectam. Hujus ab excessu cum hæsitaret
fortuna, nec reditus annui alendo tantis sumptibus exercitui suffice-
rent, quo sine tamen effrenis populis in officio contineri non poterat;
Georgius & Henricus fratres incommodum isthoc pertaxi, Maximiliano I.
jus suum in Frisiam acceptis 200000. florenis cesserunt. Vid. *Alb. Com. de*
Misn. Tit. XIII. p. 464. Noster è Frisia redux, uti pietatem ac fidem erga Im-
peratorem velut per hæreditatem à Patre acceperat sic operam bellicam
Maximiliano addixit. *Moll. A. Fr. 1501. & Albinus l. c. Tit. XVII. p. 447.* Mox
tamen hujus eum consilii poenituit, domumq; reversus cum fratre Geor-
gio de dividendis paternis ditioribus transegit. E quibus tamen præter
Fribergam & Wolckensteinium urbes, adjunctasque his præfecturas,
exceptis tamen pecuniis, quæ ex metallis redibant, & 12000. flore-
nos annuos nihil obtinuit. Pignoris tamen loco cessæ sunt Leucope-
tra Eccardsberga, Hayna & Pirna, si à Georgio dicto die argentum,
non penderetur. Vid. *Ant. Weck, Deser. Dr. p. 455.*

§. VI. Ad

§. VI. Ad conjugium paulò seriùs animum appulit : Qvippe quadragenario propior Catharinam Magni, Ducis Mecklenburgici filiam duxit, cum qua Freibergæ Anno 1512. splendidissimas nuptias celebravit, quibus præter reliquos nobili genere natos XIV. Principes interfuisse leguntur. *Seckend. Comment. de Luthev. Lib. I. P. II. pag. 199. Moll. A. F. ad A. 1512.* Ex hac præter foemellas tres totidem filios sustulit, Mauritium nempe d. 21. Martii Anno 1521. paternarum conditionum hæredem, & Caroli V. Imp. beneficio non ita multo post Electorem; Severinum Anno 1522. d. 28. Aug. magna præclara indolis indicia præbentem, sed immatura morte anno ætatis XII. Oeniponte abreptum. *Vid. Fabr. Ann. Urb. Misn. Lib. III. p. 86. & 87.* Augustum denique Anno 1526. d. 31. Julii Freibergæ natum nulla non virtute conspicuum, pium, fortem, felicem, magnificum, & ut verbo rem dicam sui nominis Principem. *Vid. Fabricius, Mollerus, aliq.*

§. VII. Suo in imperio talem se gessit, ut cives illum ceu Regem venerarentur, ipse invicè cives, ceu liberos Pater, amaret. Freibergenses imprimis, quorù in curiam tribus saltem quatuorve satellitibus comitatu ascendit. Ac ne quid ad humanitatem deesset, opificum quandoque officinas ingressus clementi eosdem alloquio est dignatus. *Vid. Moll. A. F. 1541.* Divitias suas non immensis argenti aurique ponderibus, sed civium fide multoties probatâ æstimabat, quâ perinde se tutum firmumque arbitrabatur, ac si turres argento plenas, ut Henricus illustris, possideret. Quare alienus ab omni avaritia nunquam præter jus fasque aliquid, quod civium suorum esset expetiit, nunquam subditis suis immodicis exactioibus molestus fuit. Cum Georgius Frater novum ex vino & cerevisia tributum posceret, noster longè meliori in suos animo ab his oneribus cives suos immunes esse jussit. Quam quidem imperandi regulam, ut ipse sibi præscripserat, sic tantâ religione custodiit, ut nec summa necessitate coactus ad imperandas pecunias induceretur. Elocanda erat A. 1533. filia natu maxima Æmilia, nec suppetebat tamen unde promissa dos solveretur. Georgius, qui eam numerare ex pacto debuisset, reddere dedignabatur, neque tamen Henricus ut hanc summam à civibus exigeret, potuit adduci. *Senatus tandem ac populus Freibergensis se interposuit, collatâque pecuniâ, decem millia florenorum donavit, qua erga se, suamque illustrissimam familiam pietate mirifice*
dele-

delectatus Noster, simulque ad reddendam gratiam, quod quidem
prolixè fecit postea, invitatus fuit. *Moll. A. F. ad annum 1533.* Il-
le autem ut in bonos clemens, sic quoque in malos idoneâ severi-
tate acris erat. In Thuringiâ auspice Munzero magno se rustici
impetu movebant, magistratus imperiumque recusantes frena-
mordebant, arces demoliebantur, ædes Deo sacras destruebant,
omniaque scelera tanquam concessa veniâ perpetrabant. Hoc
itaque incendium ut extinguerent Georgius Dux Sax. & alii Prin-
cipes exercitus in Thuringiam ducunt, & malè sanam cohortem
digna clade afficiunt. *Sleid. Lib. V. pag. 69. seqq.* Dum verò
hæc in Thuringia geruntur, Henrici regiones haud impar turba-
vit motus, qui sacerdotibus Nobilibusve exitium & ultima quæ-
que minitabatur. Huic se Henricus legibusque manuque arma-
tâ opposuit, unumque ac alterum ducem alligatum palo ignomi-
niâ notavit, tertium, eumque civem Wolckensteinensem capite
plecti iussit. *Moll. A. F. ad annum 1525.* Honestis quoque arti-
bus consulturus privilegiis munivit urbes, opificumque societates
optimis. Quam liberalis ac munificus fuerit erga sacerdotes
quantoque studio pauperes adjuverit egregiè sancita ostendunt.
A. cit. Cbr. Th. Sect. 2. c. 1. Moneta ne levioris pretii irreperet,
saluberrimè edictis cavet. *Ant. Weck, Descr. Dr. pag. 442.* La-
tæ sunt leges, quibus opificia exercentibus nimix interdice-
bantur feriæ, mercede statuta ipsis æqua. Armorum
usus diebus festis interdicebatur, clanculariæ claudebantur scho-
læ; ipse ut fama publicis scholis major accresceret, Rectori Frei-
berg. Gymnasii Joh. Rivio Westphalo filios suos Principes tra-
didit erudiendos, quibus tunc ille Livii Rom. Historiam præle-
git. *Moll. Cbr. Th. S. 2. C. 9. pag. 293.* De conservanda inter-
omnes concordia admodum laborabat, terras novis metallorum
accessibus augebat, easque multis ædificiis, imò urbe novâ orna-
bat. Nam cum anno 1520. in montanis ditionibus, quæ illæ
ad meridiem vergunt novæ se prodidissent venæ argentiferæ,
eum cupido incessit novæ urbis condendæ, atque Ulricum Rü-
lium, Medicinæ Doctorem, & Consulem Freibergensem, cujus

B

ope-



operâ anno 1497. in Annabergâ exstruenda magna extiterat, fines plateasque apte ut describeret, misit. *Moll. A. F. 1497. & 1521.* Oppido nomen Mariebergæ tribuit, vel quod, quemadmodum Maria olim Annam, sic hoc recens à se conditum oppidum Annabergam matrem haberet, vel quod sperabat filiam, novellam urbem non minus optimi metalli feracem ac Annabergam & Vallem Joachimicum futuram. De quo vid. *Fabr. in carmine vol. Alti. Rer. Misn. Albin. Berg-Chron. pag. 47. & Moll. cit.*

§. VIII. De pietate verò Henrici nostri quid dicam, quæ tanta fuit, ut communi Historicorum suffragio cognomen ex eâ traxerit. Magna certè fuit in eo, etiam cum Pontificiæ superstitionis immerfus tenebris de verâ colendi Dei ratione minus rectè sentiret. Mos erat olim, inter Principes, ut loca sanctorum reliquiis conspicua frequentes adirent, sibi fortassis ex his peregrinationibus ad certum tempus veniam peccatorum vel in fide incrementum polliciti. Hoc sicut apud alios, sic apud Saxoniarum Duces tunc invaluerat. Itaque Henricus majorum & Patris exemplum secutus sanctam peregrinationem Anno 1498 in Palæstinam suscipit, sepulchrumque Christi visitans, equitis accipit insignia, & alia, quæ proposuerat, exequitur. Quibus peractis de reditu in patriam cogitat, multaque & terra & mari emensus pericula divino auspicio salvus in Frisiam reductus est. Pari devotione aliud iter, è Frisiorum manibus ereptus, ut Deo quasi vota exsolvat, ad D. Jacobi fanum, quod Compostellæ in Gallicia celebratur, suscepit, magna in Jacobum, ut quidem opinabatur liberalitate usus. Centum enim aureos in arâ eidem sacra obtulit, hæc addens verba, ut *Seckend. l. c. p. 198. & 199.* memorat: Ego quidem tibi, in cuius honorem hanc peregrinationem suscepi, hæc offero, sed si patiaris illa, à nebulonibus istis, clericos templi intelligens, tibi auferri, ero excusatus. *Conf. Albin. Comment. in Misn. p. 454.* Sic quidem ille Pontificiorum aliquantum delusus est artibus; sed simul ac de D. Lutheri doctrina edoctus fuit, seipsum reprehendit. Lutherus enim Evangelium tenebris multis obductum per Dei gratiam, tan-

tandem luci suæ reddiderat, adeò, ut multi, ejus dulcedine capti papisticas superstitiones averfari inciperent atqve contemnere. Henricus cum conjugè Catharina idem fecit, detestatusqve bullas Pontificum, à Luthero petiit, ne vacillantem sese ac dubium confirmare per literas recusaret. Idqve se fecisse scripta ad Henricum epistola d. 7. Martii, Lutherus ipse commemorat *L. I. Epist. 219.* Edicto autem Wormaliensi ac Georgii Fratris minis territus, qui tum in Misnia & Thuringia, quæ ipsi parebat, non carcere, non mulctis tantum, sed proscriptionibus etiam & suppliciis sævebat, & ad capitalia etiam descendebat, progressus non est ulterius. *Seckend. Hist. Luther. §. 110. §. 157. p. 273. §. p. 397.* Quin imò, ut sævienti adversus Lutheri doctrinam, fratri non nihil concederet. Tres nobiles virgines è Conjugis gynecæo, quæ Lutheri libros legerant, invitæ licet, ejecit, quas per literas postea 1523. Lutherus solatus, culpam omnem in Stehlinum Cancellarium transtulit. *Luth. Tom. I. Witt. f. 187.* Sed nullus gladius, crudelitas nulla morari cursum Evangelii poterant. Decrescebat indies clericorum autoritas, Freibergæ imprimis, ubi nato fortè vitulino monstro cucullato capiti non multum absimili, vulgus Pontificiæ tyrannidis dudum pertæsum, clericos insectandi occasionem arripuit. Quo facto annitente Decano & Consiliario Aulico Ragewizio eqvidem de non imminuendis clericorum honoribus edicto publico agebatur: sed surdis narrata fuit fabula. In tantum discrimen Pontificis fama erat adducta, ut cives Freibergenses, apud quos Henricus sedem fixerat, non probrosis modò verbis afficerent monachos, sed & iis, quæ ad vitam sustentandam spectarent, denegarent. Quare denuò, quæ interdicta fuerant, reditusqve Ecclesiastici urgebantur, omnis diebus prohibitis carniû usus interdicebatur, rei quoq; hujus delicti, ut putabant, captivi tenebantur. *Moll. Chr. Th. Fr. p. 215.* Hoc verò irritavit magis animos quam compescuit, quos puritatem religionis jam antea spirantes negata eadem magis etiam inflammavit. Igitur alii Wittebergam petebant, publicis signis suam confessionem manifestabant alii, alii cordatiorum adibant ipsum Henricum, atqve ut religionis liberum concederet exerci-

tium humillime precabantur. Sed & ii repulsam ferebant, quia ipsi Henrico non suo rem arbitrio administrare licebat, sed fratris, ejus impulsu miseris & veritatem Evangelii anhelantibus civibus dira quæque ac pessima denunciabantur. Henricus qui clàm hætenus quodam cum metu Lutherum amaverat, cives, qui carnes temporibus vetitis comederant, clementius habuit, atque ut à Georgio Schumanno Dominicano sub utraqve specie sacramentum cœnæ distribueretur permisit, *vid. Seckend. Libr. I. parte alt. p. 199.* neque tamen his acquiescebant mentes æternæ veritatis cupidissimæ, quæ velut ex spicilegio doctrinarum cœlestium jucunditatem edocti, in plenam earum messem admitti se postulabant. Commodè tunc temporis accidit, ut Georgius Brandenburgensis Marchio constans veræ religionis assertor nuptias Freibergæ cum Æmiliâ Henrici filiâ celebraret. Hic ut ipse Augustanam confessionem Cæsari tradiderat, sic quoque ut Henrici ditionibus libertas concederetur, sollicitabat socerum. Multum quoque Antonius Schönbergius conferebat, eqves eruditione & pietate clarissimus, quem à Georgio expulsus Henricus exceperat omniumque arcanorum participem fecerat. *Moll. Cbr. Th. Fr. p. 219.* Nec suæ parcebat operæ Catharina raræ pietatis exemplum, quæ prout amore apud conjugem plurimùm poterat, sic civium de indulgendo purioris religionis exercitio crebrò repetitas preces commodò tempore explicabat. Nec parùm rem juvit Joh. Fridrici Electoris Sax. autoritas, qui cum anno 1534. Freibergam venisset, Henrico ut Principum Cizæ ad Elystrum instituto conventui interesset, fœderique simul Smalcaldico subscriberet, persuadere conatus est. *Cbytr. Sax. Lib. XV. pag. 387.* Sic tandem omnibus inimicitiis ac periculis, quæ inde exurgere poterant contemptis, publicè doctrinam veram professus civibus suis plenarium illius exercitium anno 1536. concessit. *Moll. Cbr. Theat. S. 2. c. 1. p. 220.* Quod ubi Lutherus Wittebergæ comperit, rogatu Principis M. Jac. Schenckium ad eundem misit, cujus operâ in repurgandis Ecclesiis ordinandisque ritibus uteretur. Hujus adventu tanta rerum facta est permutatio, ut qui antea pertinacissimè
super-

superstitionem Papisticam defenderant, nunc eandem vel execra-
rentur & meliora statuerent vel ad Bohemos profugerent. Ne-
que tamen Schenckius, quem initio præ se ferebat ordorem, con-
stanter retinuit. Lucri causa sacerdotes ordinabat, nec rerum Sa-
crarum scientia imbutos, nec ad eam idoneos, Islebium & Antino-
mos seqvebatur, verbis in sermone publico legis autoritati dero-
gantibus utebatur, adversarios denique ad maledicendum ac de-
sinistro reformationis successu triumphandum invitabat. Exinde
Henricus, ne contagium in plures emanaret, Autorem ab officio
removens, novos accersebat Theologos, qui majorem purissimæ
doctrinæ operam navarent. Hi errores superstites emendabant,
abolenda destruebant, atque adeò ad exoptatum finem, quæ in-
tenderant, perducebant. *vid. Ant. cit. p. 225.* Quid verò ad hæc
Georgius? Hic ingentem irarum molem animo suo concipiens,
fratri optimo diras, Freibergensibus exitium minabatur, gratia
qua utrosque hætenus complexus fuerat in iras versa. Et armis
forsan eos ad antiquæ religionis officium adduxisset, nisi à fœdere
sibi Smalcaldico jam tum præpotenti ac firmo sibi rimuisset. No-
ster intereà cives suos bono animo esse jussit, omnemque in
Deum collocare fiduciam. Ipse divino nixus præsidio adversus
omnum fortunæ impetum constantiâ sese præmuniverat. Inte-
rim Johannes, Georgii Filius, Patre ipso superstitionum Papistica-
rum tenacior Anno 1537- inopinata morte decessit: Fridericus,
qui è mascula sobole solus restabat, dum vivo adhuc patre su-
scipere fasces civesque ac ordines peractis cum Elisabetha
Mansfeldica nuptiis in fidem suam adigere meditatur, inopi-
nato obit. Atque sic tandem evenit, ut amplissimæ fratris ditio-
nes, ad se ne cogitantem quidem hæreditatis jure redirent. Ge-
orgius verò tot domesticis funeribus castigatus, nihilominus in
Papisticam superstitionem intentus, quo pacto laboranti illi succur-
reret multa consilia conquirebat. Nunc de asciscendo Ferdinan-
do, Bohemiæ Rege, nunc de advocando Mauritio Henrici filio co-
gitabat. Quem tamen data in matrimonium nurû suâ simul in-
Pontificis fidem adigi cupiebat. *vid. Ant. Weck. Desc. Dr. p. 128.*

130.307. Multis tandem hortantibus fraterni juris memor Henrico per legatos denunciatur, se hanc lege ipsum filiosque hæredes scripturum, si veteres in Ecclesia ritus retinerent & quæ mutassent pristino suo statui redderent, aliàs fore, ut ad Imperatorem & Regem Rom. tota provinciarum multitudo transiret, donec agnatorum unus conditiones impleret. Nec omittebant legati pro sua facundia quicquid ad persuadendum idoneum judicabant, proponere. Nunc soli fertilitatem, nunc fossarum metallicarum largissimos redditus, splendorem urbium, vicorum, multitudinem auri argentiqve facti infectiqve copiam prædicabant, quæ omnia Henricus consequi posset, dummodo precibus Georgii ac postulatis hoc daret, ne quid in religione mutaret. Quid verò ad hæc omnia Noster? Quæstum existimabat magnum, pium suâq; sorte contentum esse: Idem igitur legatis responsum dabat, quod olim Salvator noster omnium regnorum possessionem ostendenti diabolo. Neque verò dissimulabat malle se cum charissima sibi conjugè omnibus spoliatum bonis vel ostiatim rogare stipem ac verbi divini solatio frui, quam maximas licet possessiones consecutus Deum offendere. *Sleid. L. XII. p. 203.* Quo facto tulit pietatis fructum. Prius enim, quam legati redierunt, Georgius condito nondum testamento decessit, Nostrumque omnium ditionum suarum hæredem reliquit. Henricus cognita fratris morte eodem illo die Dresdam ingressus, sacramento sibi cives devinxit, reliquosque subditos tum ipse tum per legatos in fidem suam adiecit, amplissimarumque provinciarum hæres pristinam fortunam cum meliore mutavit. Nimirum quod *Virgilius Æneid. VI. sub finem* de Numa Pompilio ait: Curibus parvis & paupere terrâ missus in imperium magnum. Nec possum quin obiter hic inspergam, quod *Faustus in Expl. Stemm. Sax. p. 249.* de Henrico nostro commemorat. In ejus commilitio, inquit, quempiam vaticinandi artem ore mercenario vendentem fuisse satellitem, qui in Frisia per lineamenta omnia Henrici corpus in castris curantis sollicitam mentem curiososque oculos duxerit, tandem sciscitanti Henrico, quæ tam secretâ æstimatione pensitaret? respondisse: Fore
ut

ut omninò totam provinciarum Patris molem sit adepturus, Duce-
cem verò huic reclamasse commotum ac ut sibi sua haberet vati-
cinia jussisse. Interim non hoc quidem, sed Deo sic volente hæc
accidisse lætamur maximè. Adfuit tunc temporis Joh. Fridericus
Princeps Elector & ubi necesse fuit consilia contulit, recentiqve
imperio autoritate sua subvenit. *Sleidanus Lib. XII. Comment. de
statu Relig.* Simul ac verò plenissimas fasces Henricus suscepit, ab-
rogatâ passim superstitione Papistica rectum verumqve Deo cul-
tum fieri jussit, modumqve, quæ in disponendis Ecclesiæ rebus se-
querentur, præscripsit, & pro exhibito beneficio Numini solen-
nes supplicationes decrevit. *Dresserius in Chr. Sax. p. 578. Ant.
Weckius Dresd. Descr. p. 298. & 299. Fabr. Chytr. Sleid.* Hujus rei
fama ad Ferdinandum, qui tunc pro Imperatore in Germaniâ erat
perlata, legatos ad Henricum misit, qui eum precibus primò, mox
nisi resipisceret, jussis minisque ne quid in receptâ hætenus reli-
gione mutaret, inducerent. Noster forti præsentiqve animo, ni-
hil se hætenus suscepisse respondit, cujus rationem Deo, Cæsari, &
Concilio reddere non possit, sperare autem se neminem adeò ite-
se iniquum fore, ut sibi quid facere quid omittere debeat præ-
scribere aut in suo se jure interpellare velit. *vid. Weck. Descr. Dr.
p. 299. & 309.* Cæterum cum faciliè prævideret quanta olim tem-
pestas, in fœdus Smalcaldicum, cui nomen dederat detonatura ef-
set, nuntium eidem tempestivè misit, & se ditionemqve suam im-
pendenti exitio subduxit. *vid. Chytr. Sax. p. 393.*

§. IX. Tali modo cum per varios casus, per infinitos labo-
res, per tanta pericula ætatem ad annum sexagesimum & octavum
perduxisset, atqve ad senectutem opibus, honore fortunâ, si divina
imprimis spectes, crevisset, in morbum incidit, ex quo cum aliquas
septimanas consumsisset, Anno 1541. d. 18. Aug. in arce Dresdensi
à Fratre exornata non sine maximo piorum dolore mortalitatem
exiit tertio post anno quo fratri in provinciis successit. *Weck. p. 404.
Fabr. Rev. mem. Sax. p. 322.* Mori vicinus, cum quæreretur in quo
spes suas defigeret, cujusqve se meritis tueretur: Christi, inquit,
neqve

neque enim meliorem mihi Patronum invenerim. Quà verò gratiâ, tum sibi subjectos omnes, tum Freibergenses imprimis ac specialiter sit profecutus, nullum fortius adducere testimonium possumus, quàm quod mortuus nullibi, nisi Freibergæ quiescere voluit. Freibergenses, dicebat, meos, Deo mihiqve fidissimos semper inveni. Nolim itaqve ab his abstrahi: intra ipsorum moenia dormitorium habebō. *Mollerus A. F. ad A. 1541.* Feretro igitur impositum funus celebratis Dresdæ exequiis Freibergam deductum, atqve in Cathedrali templo, tumulo suo illatum est. Neque qui hunc secuti sunt Principes, Electorali etiam dignitate aucti, alibi quàm Freibergæ sepulti sunt, adeoque hanc urbem tum secessu quandoqve suo, tum monumentis ac conditoriis nobilem reddiderunt. Mausoleum ipsum tres cubitos & 40. longum, cui inde ab Henrico, XXX. novem funera sunt illata, tota nunc in Germaniâ est celebre, & quantum Freibergensium virtuti serenissimi Principes tribuant, luculentum indicium. *vid. Schirmerus in Descr. Mausolei & Moll. Th. Chr. Freib. Sect. 1. cap. 8.*

§. X. Provincias Henricus suas vivus adhuc filio majori natu Mauritio tradidit, qui auctam Electorali dignitate familiam, cum ipse sine liberis esset, Augusto Fratri propagandam unâ cum conditionibus omnibus reliquit, à quo non interrupto succedendi ordine ad Fridericum Augustum, qui nunc feliciter rebus præest sunt devolutæ. Qui, ut quam diutissimè felicissimèqve imperet, natumqve ex se tot amplissimarum provinciarum hæredem quam primum videat, Deum precamur!



erò gra-
s ac spe-
um pos-
quiesce-
e fidissi-
tra ipso-
41. Fe-
Freiber-
illatum
tiam di-
ve hanc
c condi-
cubitos
sunt il-
Freiber-
tum in-
r. Freib,

o majori
amiliam,
nà cum
endi or-
s præst
ve im-
cia-

ULB Halle 3
004 778 227


f

V017





Sh. 22, 2.

HIST
HEN.
Saxonia

IN CELE
pul

M. Bot

SAMUE
Calend.

PRÆLO CHR

QK 22



V c
2290

O,
niæ

A

orff /

lign.

Typ.

